

## DE SUCCINO

erat. Vnde equidem nō erubescerem cum Nicia afferere, talem succum terræ pinguiorem Solis radios interdū ex terra elicere. quæ sententia etsi Agricolaæ displicet, tamen Nicias simili fortassis edoctus experiētia dixit. Talis terra pinguis, nigra & ponderosa, & ita lenta vt vomeribus vix satis sit peruia, est in peninsula Sudinorum, cuius terrę succus fortassis bituminis materia fit post varias coctiones & alterationes, quas à calore subterraneo sustinet. Prussia enim non caret ignibus subterraneis, cum variæ pyritidū aliorumq; metallorum species in ea inueniantur: Est itidem verisimile ad littora Sudinorum ignem subterraneum cōtineri. adest enim pinguedo terræ, quæ potest fieri alimentū ignis. adest etiam terræ densitas à fluctibus maris impressa, quæ calorem cogere potest, ne erumpat vel dissipetur. Tertio cavitates quoque subesse verisimile est, in quibus calor vel ignis subter  
raneus